



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Menradvs Mart. 21. Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

piis haustum Christi exemplo respuit, jejunii sui etiam in morte tenax. Nudis pedibus flammis tamen insultavit, atque inde veluti pro rostris Christianos est adhortatus, oculos in æternitatem defigerent, non cruciatus breves. Iam vincula flammis soluta manus solverant, cum FRUCTVOSVS, explicatis in crucem brachiis, cælum spectare, cælum precibus pulsare. Et ecce panditur hoc, & Martyres (spectantibus triumphum impiis) inter flammarum globos, ad cælum evolarunt, coronis omnes insignes, indeque rident admotas necquicquam à iudice machinas. Tam illustrem itaque rogam non aquâ sed mero diluendum duxerunt Christiani; sed distinguere laborantibus sacra ossa, è cælo FRUCTVOSVS adfuit, veteriq; terris disjungi, quos cælum junxisset. *Ex Suario.*

*Labrare non vis, qui utrùm vivas usque ad senectam nescis: quare differs vocantem te, vivus de merceâ, incertus de diâ? quidna forte quod illi tibi daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo.* Aug. serm. 56. de verb. Dom.

S. MENRADVS MART. 21. Januarij.

**F**VITÆ MENRADVS Suevici sanguinis Co mes. Tirocinium melioris militiæ in Ascet erio (Augiam Divitem dixere) posuit. Mox ex tirone miles, ex mi'ite Dux castra in Eremum movit, semper inclytus victoriis ab orco reportatis: qui tam densâ quandoque acie casam oppugnavit militis nostri, ut suam diei cum sole lucem eriperet: sed solvit oppugnationem unicus bonus genius Custos MENRADO datus, cum aliàs sæpè, tum precanti imprimis visendus adfuit. Ita vitam solam agenti in annum XXVI. latrones gemini supervene-

pervenerunt, quos ipse, quamvis cogitati facinoris minimè ignarus, benignè & accepit & habuit. At illi secundùm sacrificium & preces, hospitem suum necant ingratiſſimi, & ponè caput cereum, uti vivus petierat, statuunt. Is suapte vi accensus, & jam decreſcens, cùm stipulas lectuli comprehendisset, veritus sacrum caput attingere, spontè iterum extinctus memoratur. Corvi interim & ipsi gemini, ac diu è manu Divi diarium accipere soliti, pulchrè se & Patronum suum vindicarunt. Alas quippe & ungues intentando in oculos, & voce, quâ poterant, parricidas clamitando, tandem prædones sunt infecuri, quoad in vincula tandem coniecti sunt, post paulum iterùm pœnas corvis daturi. *Ex Suario.*

*Si quando animus tuus accepta injuria dolore exarsit, fac tibi Christus Christiq. vulnera in mente veniant, quæ in illa pars hæc sunt eorum, quæ Dominus tuus perpeſsus est; hac ratione animi dolorem velut aspersâ aquâ extinxeris. Greg. Naz. in sen.*

## S. AGNES V. 21. Ianuarij.

**A**GNES è primâ Romæ nobilitate vix dum annos nata tredecim, candidum pudoris florem sanguinis sui purpurâ pinxit. Nam Agno dudum nupta dum oblatum à filio Vrbi Præfecti thalamû longè repudiat, vestibus spoliata in lustrum abripitur, sed mox ab Angelo bono, divinâ luce contra impuros armatur, & veste de cælo data ornatur. Irrumpentem exinde, de quo dixeramus, CHRISTI rivalem, ideoque à malo dæmone suffocatum vitâ iterum donat, & tamen ab Aspasio flammis addicitur, sed quas ad preces vitginis cælestis ros illicò extinxit. Gladio denique trajicitur  
nova